

8.26.11

Imp. Iustinianus A. Iohanni pp.

Solita providentia utimur etiam de pignoribus vel hypothecis rerum, quae quibusdam creditoribus suppositae postea a debitoribus venduntur vel alio modo transferuntur creditore suum consensum contractui praebente et quodam legitimo postea modo ad priorem dominum revertuntur.

1 ¶ In hoc etenim casu diversae sententiae legum prudentibus habitae sunt, quibusdam dicentibus ius pignoris creditori renovari propter verbum 'futurarum rerum', quod in generalibus hypothecis poni solitum est, aliis penitus extinguui.

2 ¶ Nobis autem visum est eum, qui semel consensit alienationi hypothecae et hoc modo suum ius respuit, indignum esse eandem rem utpote ab initio ei suppositam vindicare vel tenentem inquietare.

D. XV k. Nov. Constantinopoli post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc. anno secundo.
[a. 532]